



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Zuinglij doctrina condemnatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

id quod ex eo discant, credere &c. (g) Non multo post vero idem Senatus statuas omnes quam late ipsorum pater ditio auferri iussit, sicut iam ante Carolstadius Wirtembergæ, inuito ac repugnante Luthero, eas aboleuerat.

IV. Circa idem tempus Oecolampadius quoque Apostata Monachus Basileæ, Catholicæ Ecclesiæ repugnantia docere cœpit, vti Zuinglius Tiguri. Et hic quidem tantum effecit vt Tiguri Missa tandem fuerit abrogata: ille vero paulatim Iacobi Maieri Consulis opera adiutus, eo vsque progressus est, vt Episcopalem sibi auctoritatem arrogavit. Eodem cœstro perciti Schafusani & quidam alij pagi, religionem & ipsi mutauere. Ea de re ij pagi qui Catholicam adhuc sequebatur religionem, tam per legatos quam per litteras grauiter cum eis expostularunt. Tandem vero ex communi omnium decreto multum quoque sollicitantibus Constantiensi, Basileensi, Curienti & Lausannensi Episcopis, Badenæ instituta fuit An. 15. 6. disputatio: quæ à Catholicis primi nominis venerunt Theologi, Iacobus Faber Ferdinandi Consiliarius, Thomas Murnerus, & Ioannes Eckius, ille tot iam ante cum Luthero habitis congressibus notus. Hugo Constantiensis Episcopus eo Vicarium suum siue suffraganeum miserat Melchiorum, celebrem Theologum, Orthmarum Lucinum disertum hominem, & Antonium Concionatorem suum aelicum, cum alijs nonnullis Ecclesiastici ordinis: Christophorus Basileensis Episcopus, Augustinum Maierum, Iacobum Lempium, & alios exquisita doctrina præstantes viros: Sebastianus Lausannensis Episcopus, Conradum Tregerum Augustiniani ordinis Prouincialem, & Ludonicum Lubly Bernensem. A Curienti adfuerunt Petrus Speiserus, & quidam eius Ecclesiæ Canonici: quorum omnium doctrinam tam ad hoc quam ad quoduis aliud sufficiens, iam ante multis experimentis erat perspecta. Multis ad tam celebrem conuentum affluentibus, Zuinglius tamen aberat, & quamuis velut præcipuus diuortij illius cum Ecclesia auctor multorum litteris & sermonibus inuitatus, nunquam tamen induci potuit vt eo veniret: quantumuis ei publica fides saluus conductus esset oblatas sed vt Lutherus Pontificali quadam auctoritate oracula consulentibus è Musæo suo seu cubiculo tamquam è tripode reddebat, ita Zuinglius non sine fastu Badenam venire recusauit, periculum excusans, vt qui Lutheranis, Vranis, Suicijs, Vnterwaldijs & Tu-

gianis, qui summo ipsum persequeretur odio, vitam suam credere non posset. Quamuis autem non saluo conductu modo, verum etiam obsidibus ob aris, conuicijs pæne ad certamen euocaretur, in sententia tamen persistebat: lepus seu cuniculus, & Tigurum, quasi ex ipsius arbitrio res agenda esset, vel Bernam vel Sangallum corrupta à se loca disputationi designabat vt ibi populi multitudine quasi iudicibus vinceret, qui eruditissimis se parem esse intus diffidebat. Omirabilem noui huius Heluetiorum Apostoli zelum, capiti suo tanto per timentis! Non ita primi illi fecerant Christiani, qui vbi maximum ingrebat periculum, ibi potissimum ad dimicationem sese offerebant, & Christi nomen intrepide vbique professi, per medios ignes & flamas ad martyrij coronam erumpabant. Sed terruit illum sacerdotis cuiusdam apostatæ, Constantiensis Episcopi postulatione non multo ante cremati exemplum. Sic ergo Zuinglius viribus suis diffusus, & intra Tigurinae ciuitatis muros post principia latens, ne à tot tamque strenuis Catholicæ Fidei militibus, quos Badenam venisse non ignorabat, male acceptus existimationem suam perderet, Oecolampadium tamen eo ablegauit, additis velut optionibus Huldrico Studeo & Brechtholdo Hallero, Canonico Bernensi apostata, vt scilicet ijs victis, nihilominus sibi res integra maneret.

V. Non obstiruit tamen Zuinglij absentia quominus ad disputationem fuerit peruentum. Ac primo Catholici Theologi themata quædam quibus Catholicæ doctrinæ veritas adstruebatur, & Zuinglianæ demonstrabatur falsitas, proposuerunt: in primis vero Eckius continuis aliquot diebus excellentis suæ eruditionis mirifica dedit specimen. *Felix, sancta & immortalis est & erit viri huius memoria, qui in primis semper stans ordinibus, multiceps barason monstrum & immanes illos ac feroces Goliathos fortissime assilijt ac cominus oppugnauit.* Penes quos vero victoria fuerit, exitus disputationis à Notarijs ad hoc deputatis scriptus monstrat. Comuni enim decreto septem illa themata, de quibus inter Eckium & Oecolampadium disputatum fuerat, tamquam à Scripturæ consentientia, recepta fuisse atque approbata, quamuis multum reclamante Oecolampadio: nimirum Hæc: primo *Verum Christi corpus atque sanguinem vere adesse in coena Domini (contra Zuinglij opinionem, qui id vanissime asseruerit nullis scripturæ testimonijs probari posse) ideoque Corpus Christi in Coena Domini realiter &*

Foraliter percipi. Secundo, Christi corpus atque sanguinem in Missa sacrificia pro uiuis atque mortuis offerri. Tertio, virginem Mariam & reliquos sanctos pro intercessoribus esse inuocandos. Quarto de Sacramentorum numero. Et c. vera hæc tenentur docuisse Ecclesiam & adhuc docere. Quinto, post hanc uitam locum esse, in quo anime nondum omni contagione libera antequam celestis gaudij fiant participes, purgantur. Sexto, infantes fidelium in peccata mortali nasci. Septimo, non S. Ioannis, sed Iesu Christi baptismo peccatum originale deleri. Hoc modum Lutheri quam Zuinglij doctrina in hoc conuentsu praeclare damnata fuit, ac statutum ut nihil tam in doctrina quam cultu diuino hæc tenentur uisitati inueneretur. pœna etiam decreta sunt in eos qui contra fecissent, ac lecti iudices, promisso inuicem factio, quod ab uno pago statutum fuerit, id à reliquis ratum habitum iri. Hæc tenentur bene illi sancire illa quidem, sed & oportebat decreto huic insistere, & Tigurinos, qui soli uiribus erant impares, ad decreta faciendâ cogere. Sane Zuinglius & tu hoc arronitus, quo se recipere habiturus non erat, qui soluto enerui in exequendo conuentsu, resumptis uiribus suos postea tuus excitare; & tam uoce quam scriptis animare non cessabat. Faber qui Zuinglium prouocauerat, ybi cum in latibulo suo continere se uidit, scriptis remegit, quæ adhuc exstant, in quibus enormis Zuinglij contradictiones, & Oecolampadij in solo articulo de Sacramento altaris, centum & quinquaginta falsitates seu mendacia demonstrat. Huius exemplo Rossensis quoque in Anglia Episcopus, cuius memoriam nulla unquam delebit oblitio, ueriusque errores duobus doctissimis libris editis, refutauit.

VI. Promulgato hoc apud Helueticos decreto, quod factum fuit Anno M. D. XXVI. Zuingliani priuatum rebus suis intenti, publice nihil aut sunt, donec Anno M. D. XXVII. Bernates, quorum præcipua est in Helueticis potentia, eo proculcato, aliam suam in urbe disputationem decreuerunt, (g) Zuinglio potissimum instigante, qui uelut è longo animi deliquio recollectis uiribus, ad pristinam ferociam redierat. Causam apud reliquos pagos prætexebant Bernates, quod religionis dissidia indies aufererent, nec eadem esset etiam eorum quæ Zuinglio adhererent doctrina, & noua secula passim gliscerent. Per id enim tempus sacerdos quidam è progressus est infania, ut publicis in concionibus diceret, iam id tempus adesse quo Iesu Christi Euangelium finem habiturum, & noua lex sit introducenda. Nam ut Moysica lex mille tantum & quingentis annis durauerit, sic Christi

quoque legem non diutius duraturam, sed iam periodum suam absoluisse. Anabaptista præterea & alij hæretici è Morauia & aliunde irrepentes, simplicem plebem seducere, & mirum in modum ludificari cœperant, sic ut trecenti circiter (quemadmodum eius temporis historici testantur) à phreneticis eiusmodi doctoribus persuasi & à diabolo excacati, in montu cuiusdam iugum conscenderint, expectantes ibi dum unâ cum anima & corpore in apertum caelum susciperentur. Sed ad Bernates redeo, qui, uti dicere cœpimus, edito scripto futuræ in sua urbe disputationi diem constituerunt, ad eamque finitimos conuocauerunt Episcopos, monitos, ut si uenire ipsi nollent, suos mitterent Theologos. Deinde leges etiam perscribunt, & ut in decidendis controversijs sola S. scriptura pondus & auctoritatem habeat, edicunt, & omnibus undecumque è uenturis, publica fide cauent, simulque themata, de quibus disputandum esset promulgant. Acceptis litteris, Lucernates, Vrani, Suicij Vnterwaldij, Tugiani, Galreani, Friburgenfes, Soluturij, proluxo scripto grauissimisque uerbis hortantur ut ab instituto desistant, ut quod decreto Badensi maxime aduersetur, & ad initi fœderis ac pacti uiolationem pertineat. Addunt, non licere ulli populo aut provincia formam religionis aut doctrinam mutare, & quæ ab Ecclesia recepta sunt, in dubium uocare, sed hoc ad totius orbis pertinere Concilium. Quod si turbulenti aliquis nouum adferat doctrina genus, eum statim comprehendendum & secundum leges puniendum esse, &c. Nihil his omnibus commoti Bernates, pergunt, & actionem ad constitutum diem inchoant. Eo Basileenses, Schafusiani, Tigurini, Abbecellenfes, Sangalliani suos miserant. E Germania quoque nonnulli ab eiusdem religionis socijs, uelut auxilii ferendi causa summissi sunt. Fuerunt ibi Zuinglius, Oecolampadius, Wolfgangus Musculus, Capito, Blaurerus & Hallerus. Episcoporum uero nemo uenit, ut qui eiusmodi profanorum & à Deo derelictorum hominum conciliabulis præsentia sua auctoritatè aliquam addere nollent. In quo tamen perniciose ab eis peccatum fuisse, postea deprehensum est, eo fere modo quo à Iudeis olim, qui de Sabbatū uolarent, Romanis, quorum dux Pompeius erat, præde potius fieri, quàm atma ad sui defensionem expedire maluerunt. Theologorum enim, quos doctissimos habebant, operâ facile Zuinglianis quæ sibi sumplerant, prærogatiuâ extorquere, & hæreseos cursū, quæ magnas inde vires accepit, sistere potuissent. Vnus Reli-

Ec 3

glo-

g. Anasimæ Eccl. Cathol. Tr. 2. Diss. Bern. p. 23.